

CXCv.

Anno 1581.—1629.

Privilegium Carolostadiense a Regibus Rudolpho II. et
Ferdinando III. elargitum

Nos Ferdinandus III. Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae-que Rex. Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carnioliae, superiorisque & inferioris Silesiae; Marchio Moraviae, superiorisque & inferioris Lusatae; Comes Haubspurgi, Tyrolis, & Goritiae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod pro parte & in persona fidelium nostrorum militum & incolarum, caeterorumque inhabitatorum Fortalitii, sive Civitatis novae *Carlostad* infra Castrum Dubovacz, in dicto *Regno nostro Croatiae constructae*, exhibitae sunt nobis & praesentatae certae quaedam litterae, serenissimi condam Principis, Domini Rudolphi II. alias Romanorum Imperatoris & *Regis Hungariae*; confirmationales Privilegiales, in pergamento patenter confectae, ac secreto eiusdem Sigillo, quo, *ut Rex Hungariae utebatur*, impendenti communitae. Quibus mediantibus, idem condam Imperator & Rex, certos quosdam articulos, super libertatibus & immunitatibus praefatorum Civium Carolostadiensium, a Serenissimo condam Principe Carolo, patruo videlicet suo, iisdem Civibus Carolostadiensibus, factis & concessis, signanter vero binis nundinalibus praerogativis; nec non uno foro haebdomadali, emanatos; ratificasse atque confirmasse dignoscebatur, tenoris infrascripti. Supplicatum itaque extitit Maestati nostrae, pro parte & in persona praelibatorum militum, universorumque Civium & inhabitatorum dictae Civitatis Carolostadiensis, debita cum instantia humillime: quatenus praetactarum binarum nundinarum, unas; hactenus quidem in Festo B. Margarithae, hoc est XIII. Die Mensis Julii; prout & forum haebdomadale, singulis diebus Sabathi in eadem Civitate celebrari solitum & consuetum, ex eodem Festo S. Margarithae ad Dominicam Sanctissimae & Individuae Trinitatis; forum autem haebdomadale, ex die Sabbathi ad diem Jovis, singularum septimanarum, benigne transferre: ac insuper unas adhuc nundinas pro Festo S. Bartholomaei quotannis, in eadem Civitate perpetuo celebrandas gratiose superaddere: In reliquo vero, praedclaratas litteras confirmationales, omniaque et singula in iisdem contenta, ratas, gratas & accepta habentes, litterisque nostris Privilegialibus, inseri & inscribi facientes, approbare, roborare, & ratificare; ac pro antelatis militibus & incolis, caeterisque inhabitatoribus, saepe tactae Civitatis Carolostadiensis, ipsorumque posteris & successoribus universis, innovandas, perpetuo valituras, gratiose confirmare dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor talis est.